



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XIX. Vtrum auxilia sufficientia omnibus hominibus æqualiter conferantur
ex parte Dei, vel vnde eorum varietas, seu inæqualitas oriatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Deus vult
omnes homi-
nes saluos
feri.

& proposito efficaci velle saluare, & ideo etiam secundum hanc voluntatem interpretari voluit verba Pauli, & consequenter ad illam distributionem omnium hominum explicare. Nihilominus tamen in alijs locis, præsertim de spirit. & lit. capite 33. fatetur Deum ex se velle omnes homines saluare, & ita exponit verba Pauli, vt supra vidimus. Cum ergo in alijs locis indicat quosdam non saluari, quia Deus noluit saluare, in primis verbum illud noluit, purè negatiuè & de sola negatione efficacis voluntatis, seu electionis intelligendum est, ita vt non sit sensus aliquos carere sufficienti auxilio salutis, quia Deus de se absolute voluerit illos non saluare, sed sensus sit, quia aliquos non elegit voluntate absoluta, ideo non præparasse illis auxilia salutis efficacia & congrua, de his enim illa loca intelligenda sunt, cum quos stat, vt omnibus media sufficientia ex antecedente voluntate saluandi omnes, præparauerit.

CAPVT XIX.

Primum auxilia sufficientia omnibus hominibus equaliter conferantur ex parte Dei, vel vnde eorum varietas, seu inaequalitas oriatur.

Diximus auxilium sufficiens omnibus conferri, superest, vt breuiter explicemus quomodo distribuatur, id est, an ex parte Dei omnibus inaequaliter detur, & vnde contingat, varijs modis & inaequalibus conferri. Loquimur autem de auxilio sufficiente: nam de comparatione illius cum efficaci, & cur quibusdam detur auxilium efficax, verò tantum sufficiens, in libro sequenti dicendum. Deinde si de solo euentu, vel de facto ageretur, res esset facillima, & extra controuersiam inter eos, qui Scripturam & fidei principia admittunt, quia euidentissimum est de facto non dari omnibus etiam reprobis æqualia auxilia sufficientia, sed alijs maiora, alijs minora, vt res ipsæ manifestè ostendunt. Dicit enim

Matth. 11. Christus Matth. 11. Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ sunt factæ in te, in cilicio & cinere penitentiam egissent. Erat ergo auxilium illud de se sufficiens, & in Iudæis fuit tantum sufficiens, quia illi restiterunt, & in hoc grauiter peccarunt, & tamen illud non est datum Tyris, nec Sidonijs, nec etiam alijs gentibus, nec æquale, sed longè minus. Vnde etiam legimus Act. 14. & 17. Deum permisisse gentes ingredi vias suas, & tempora prioris ignorantie despexisse, non quia sine auxilio sufficiente gentes reliquerit, sed quia longè minora auxilia sufficientia eis tribuerit, quam Iudæis, iuxta id Psalm. 147. Non fecit taliter omni nationi. & Rom. tertio Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? multum per omnem modum.

Psalm. 147.
Rom. 3.
2. Post aduentum etiam Domini nostri Iesu Christi eius gratia non omnibus gentibus est equaliter applicata, alijs enim citius, alijs tardius prædicatum est Euangelium. Et in Actis Apostolorum legimus volente Paulo ire ad vnam gentem, prohiberi tum esse à Spiritu sancto, & ad aliam esse missum, Act. 16. nunc etiam maiora gratiæ auxilia dantur fidelibus Christianis, quam olim darentur gentibus, vel Iudæis, vt ex illo primò Timoth. quarto: Qui est Saluator omnium hominum, maxime fidelium. Colligit eleganter Prosper libro secundo de

vocat. gent. capite 31. aliàs 10. dicens, Adiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspiratæ ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficijs prouocatur, in quibus verbis de prædestinatis, ac subinde de efficacibus auxilijs loqui videtur, tamen negari non potest, quin etiam hi, qui ex Christianis non saluantur, specialibus beneficijs præmouentur, licet ad effectum non perducantur, recipiunt ergo illi maiora auxilia sufficientia, quam infideles, & in rigore verborum Pauli sub illis ad præparantur, qui vltius subiungit capite 32. In ipsiusque fidelium populi non eadem omnibus, nec paria, (vtique auxilia) conferuntur. & hac ratione, ceteris paribus, Christiani, qui damnantur, censentur grauiori iudicio & condemnatione digni, quia maioribus auxilijs restiterunt, & inter Christianos ipsos maiori pœna sunt digni, qui pluribus auxilijs præuenti damnati sunt. Itaque de facto ipso, seu de auxiliorum sufficientium non solum comparatione efficacium, sed etiam inter se de inæqualitate nulla est controuersia. Deradice autem & causa huius varietatis quæstio agitur.

Dixerunt ergo Semipelagiani, Deum quantum in se est, omnibus æqualiter providere, & de se paratum esse ad danda omnia æqualia auxilia sufficientia, ex parte autem hominum prouenire, quod alijs maiora, alijs minora recipiant, vt Didericus latè referunt Prosper in Epist. ad Augustinum, & Hilarius in alia Epist. ad eundem Augustinum. & idem Augustinus Epistola 106. & 107. & libro de prædest. Sanctorum capite primo 3. potestque sententia hæc aliquo modo fundari in verbis dipient. 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter est illi cura de omnibus. quod maxime videtur de supernaturali prouidentia intelligendum. & ratio ubi insinuat, quia sicut Deus æqualiter est creator omnium, ita etiam decet bonitatem eius, vt sit æquè omnium Saluator. Item, quia, vt ibidem præmittitur, non subtrahit personam cuiusquam Deus, id est, non est acceptor personarum Deus, vt etiam Act. 10. & sæpe in alijs locis Scriptura dicitur: esset autem acceptio personarum & irrationalis discretio, seu electio, si Deus hominibus ex parte sua omnino æqualibus, & in originali peccato æquè nascentibus, gratiæ auxilia inaequaliter distribueret sine vlla causa, vel ratione ex parte illorum.

Secundo videtur huic sententiæ multum fauere Dionysius capite 9. de coelest. Hicarch. vbi non ex parte Dei, sed ex parte hominum oriri sentit, quod quidam magis, alijs minus à Deo illuminantur, ipsa (inquit) lucis participatio pro suscipiendum meritis varia sit, scilicet vel magna, obfcura, vel lucida, cum tamen radius ille diuinus, vnus ac simplex sit, eodemque modo se habeat super omnia semper explicitus. Item Cyprian. Epist. 59. aliàs libro 3. Epist. 8. sic ait, esse apud omnes siue infantes, siue maiores natu, vnam diuinam meritis equalitatem, declarat nobis diuina Scriptura fides, & infra, sed illic æqualitas diuina & spiritalis exprimitur quod pares & æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt. & infra, cum Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paternæ equaliter omnibus præbeatur: nam Deus vt personam non accipit, si neque aetatem, cum se omnibus ad celestis regni consequutionem equalitate librata præbeat patrem. & Epist. 76. ad Magnum p. 2. aliàs lib. 4. epist. 7. Si dies (inquit) omnibus equaliter nascitur, essi sol super omnes pari & equali luce diffundatur, quanto magis Christus sol & dies verus in Ecclesia sua lumen æternæ vite pari equalitate largitur. Et infra inducit exemplum Manna, quod ab omnibus æqualiter colligi poterat, sic enim ait, Spiritus gratia minus sine amorum discretionem, seu acceptationem personarum

nam super omnem Dei populum equaliter effundi. Denique D. Augustinus in id Psalm. 45. Deus in medio eius non commouebitur, ait: Quid est, Deus in medio eius hoc significat, quod aquus est omnibus Deus, & personas non accipit: quomodo enim illud quod in medio est, paria habet spacia, ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur equaliter omnibus consulens.

Reprobatio Nihilominus hæc Malsiliensium sententia ab Augustino, Prospero & alijs Patribus & Concilijs reprobata est, ut in fide erronea, quia verò in ea multa continentur, quæ non aequè falsa, vel etiam non omnia falsa sunt; ergo per partes oportet illa discernere, & pretiosum à vili, seu veritatem ab errore separare. Primum ergo supponimus, quod dictum iam est, Deum omnibus modis auxiliis, nullo excepto, ex parte sua sufficientem gratiam offerre, paratūque esse ad dandum omnibus auxilium supernaturale sufficiens, & illuminandum omnes si ipsi gratiæ Dei obicem non posuerint. Hoc latè probatum est in superioribus, & denuò id conuincunt testimonia Patrum proximè allegata; in hoc ergo non errant Semipelagiani, nec illis in hoc Augustinus contradixit, vt ex dictis in superioribus constat. Secundò nihilominus dicendum est rationem varietatis & inæqualitatis huius sufficientis auxilij in diuersis temporibus, locis, seti nationibus, aut personis, non posse ex parte hominum seu ex libero arbitrio sufficienter assignari.

Conciliatio Has suas assertiones, (interponendo etiam veluti huius fundamentum,) tamquam certissimas definitiones tradit Prospero libro secundo de vocat. gent. capite 30. alijs 10. dicens, Commendamus, vt, cum de gratia profunditate & altitudine disputatur, tribui illis saluberrimis & veratissimis definitionibus finis intenti, quarum prima proficitur æternum & proprium esse diuinæ voluntatis, vt omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia simul prædicat, omnem hominem, qui saluus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Deo auxilio iuari ac regi, vtque in fide per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertiò verò temperanter & sobriè protestatur, non omnium voluntatum Dei comprehendere posse rationem, & multas diuinorum operum causas ab humana intelligentia esse subditas, vt cum in temporibus & nationibus, in familijs, in paruulis, in nondum natis, & gentijs, quædam aut variè, aut insigniter gesta esse noveruntur, non ambigamus ea ex illis esse, quæ iustus & misericors Deus in hoc transitorio sæculo noluit sciri. Deinde postquam capite trigésimo primo primam propositionem modo à nobis supra explicato confirmauit, in trigésimo secundo confirmat suam tertiam & nostram secundam assertionem, tum ex effectibus, quia etiam infidelibus populis non omnibus patriæ & similia conferuntur auxilia, & ante omnia meritorum pondera dissimillima diuinorum mensura est numerum. quæ varietas non potest nisi in liberam Dei voluntatem referri. Tum ratione, quia non possumus hanc diuersitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius operibus sumitur, quicquid in singulis probabile reperitur.

Distinguitur Vt autem distinctius veritas hæc declaratur, & confirmetur, possumus nonnullos huius inæqualitatis & varietatis sufficientis gratiæ modos distinguere, & in singulis quid in solam diuinam voluntatem, quid verò in humanam referri possit, agnoscere. Potest autem hæc varietas spectari, vel inter singulares personas, vel in ipso humano genere in diuersis temporibus, seu ætatibus Ecclesiæ, vel in diuersis mundi partibus, & prouincijs in eodem tempore & statu Et.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

clestæ. Primum ergo inter personas inuenitur inæqualitas, quia ad quosdam diuina illuminatio supernaturalis, & interna vocatio proxima ad fidem nunquam pertingit, nec per auditum, nec per inspirationem internam: ad alios autem peruenit, & actu confertur. Vtrumque membrum per se satis patet, experientiaque comprobatur, & in superioribus auctoritate confirmatum est; huius ergo discriminis ratio, in his, qui tale auxilium non recipiunt, ex parte illorum reddenda est, tam quia est defectus rei maximè necessariæ ad salutem, qui non à Deo, sed ab homine prouenit primario: tum quia est poena quædam, quæ supponit in homine culpam, tum denique, quia non est contra gratiam Dei, sed in fauorem eius, vt ostendatur de se omnibus communicari. Et hoc etiam in superioribus latè probatum est; in alijs verò quibus tale auxilium actu confertur, prima ratio non ex illis, sed ex Deo sumenda est, & ita in vtrisque completur sententia Domini, dicentis, Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum. & in hoc in primis errarunt Semipelagiani, qui non minus causam recipiendi à Deo primum auxilium gratiæ ponebant in bono vsu liberi arbitrij, quàm carentiæ illius in malo vsu; decepti verò sunt, quia homo per se sufficit ad ponendum obstatulum auxilio Dei, non tamen ad promerendum illud. Imò in statu naturæ lapsæ ratione peccati originalis illud demeretur quantum est de se, & ideo quando illi datur, gratis & ex solo Christi merito confertur, quod non solum de primo auxilio efficaci, sed etiam de sufficiente intelligendum est, vt iam dicam.

Potest enim vterius hæc inæqualitas inter singulares personas inueniri, etiam in his, qui supernaturale auxilium sufficiens actu recipiunt; nam quidam per illum tantum recipiunt posse, alij recipiunt etiam velle, vt Augustinus frequenter loquitur. Quod discrimen non est, per se loquendo, inter auxilia sufficientia, de quibus nunc tractamus, sed est inter auxilium sufficiens & efficax, nam auxilium quod dat posse, est tantum sufficiens, aliud autem dans velle, est efficax. Regulariter autem credibile est illud, quod est sufficiens, efficax, etiam in ratione sufficientis esse maius; & efficax, an verò super necessarium sit, postea videbimus. In his ergo, in quibus auxilium est efficax, causa prima & principalis est voluntas diuina; quomodo autem id etiam ex libero arbitrio pendeat, in libro sequenti tractandum est; de alijs verò in quibus est tantum sufficiens, duo distinguenda sunt, vnum est, habere tale auxilium, aliud est, quod sit tantum sufficiens. hoc posterius habet rationem ex parte ipsius hominis nolentis vt tali auxilio: ex parte autem Dei non habet propriam causam per se & positiuam, sed tantum permissiuam, quia non vult dare maius, vel congruentius auxilium, quod pro sua voluntate, sine peculiari causa ex parte hominis facere potest: non facit autem Deus vt illud auxilium sufficiens quod de facto præstat, sit inefficax, sed hoc facit homo vt latè in superioribus ostensum est.

At verò illud prius, scilicet habere, seu recipere tale auxilium (loquendo de tota serie auxiliorum sufficientium, illaque ad primum reducendo,) non habet causam ex parte hominis, sed solum ex parte Dei & Christi, quia illud auxilium etiam si sit tantum sufficiens, est vera gratia prima, & ideo nullum meritum, vel rationem habere potest ex parte hominis, vt contra Malsilienses sæpissimè Augustinus argumentatur, vrgens illud Rom. 11. Si autem gratia, non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia. Hoc enim non minus procedit de auxilio suffi-

Semipelagianorum error.

Differat auxilium sufficiens, & efficax.

Rom. 11.

cienti, quàm de efficaci, quia auxilium præueniens est vera gratia, etiam si illi resisti possit, & interdum resistatur, ac proinde sit tantum sufficiens, ut aperte colligitur ex Concil. Trident. & Senonienf. locis suprà citatis. Quapropter, etiam si comparatio fiat inter duos, quorum vnus nec proximè vocatus fuit ad fidem, alius verò vocatus fuit, sed non consensit, nihilominus dici non potest, hunc fuisse alteri prælatum in tali vocatione propter merita sua, vel propter aliquam bonitatem in ipso inuentam, magis quàm in alio, sed ratio tota in Dei voluntatem remittenda est. Nam licet fieri possit, ut is qui vocatur, sit minus malus, quàm alius, & ideo ratio aliqua sumi posse videatur ad eum modum quo Paulus dixit primâ Tim. 1. *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci.* Sicque peccatum ex ignorantia dicitur esse remissibilius, quàm peccatum ex malitia; nihilominus hæc ratio non est propriè motiua, nec causa talis gratiæ, sed tantum minus impediens: nec est generalis, nec propria, nam Deus interdum vocat duriores, & non eum, qui minus peccauit, & interdum vtrumque, aliquando neutrum; ergo signum est hæc facere secundum consilium voluntatis suæ, per altissimas suæ prouidentie rationes, quas humana fragilitas inuestigare non potest, nec debet. Vnde si aliquando potius vocat eum, qui ex ignorantia peccauit, quàm eum qui ex malitia, etiam id facit propter suam bonitatem & gratiam, non propter meritum hominum, & præterea quod ille, cui miseretur, minus antea peccauerit, etiam prouenit ex prioribus rationibus prouidentie suæ, quibus res ita disposuit, vt ille minora saltem impedimenta gratiæ apponeret, atque ita non tantum bona, sed etiam quoddam mala minora, vel pauciora sint, diuinæ prouidentie & voluntati merito tribuitur. quæ omnia quatenus ad finem supernaturalem ordinantur, ad diuinam prædestinationem & gratiam aliquo modo pertinent. & ita sæpe de his effectibus loquitur Augustinus, ut in superioribus allegatum est.

Tertio adhuc inter singulares personas, qui multa auxilia sufficientia recipiunt, & per illa ad salutem non perueniunt, inueniunt infinita varietas. Nam quidam recipiunt illa auxilia toto tempore vitæ, alij tardius, alij in fine vitæ: & quidam plura & maiora, alij minora, & pauciora, quidam per illa nunquam iustitiam consequuntur, alij interdum perueniunt ad illam; quidam breui tempore, alij diuturno, licet tandem non perseuerent. In hac ergo varietate aliter de primo auxilio, aliter de subsequenter dicendum est. Nam quoad primum certum est, in vtroque homine initium talium auxiliorum, quod vnicuique datur, siue paruum, siue magnum sit, esse ex sola gratia & misericordia Dei, vt contra Semipelagianos Concilia definiunt, & iam sæpe dictum est, vnde sit, varietatem, quæ in primo auxilio inuenitur, (nam vni datur maius, alteri minus,) non esse ex diuersitate meritorum ipsorum hominum, sed ex voluntate Dei, nam si neuter illorum meretur suam gratiam, multo minus potest vnus mereri, quod maiorem accipiat quàm alius. At verò in posterioribus auxilijs potest illa varietas oriri ex dispositione recipientium, non naturalem, sed per cooperationem cum primo auxilio: sic enim potest homo operans per fidem, aliquo modo sequentia auxilia mereri, vt sæpe dictum est.

Nihilominus tamen hæc ratio huius varietatis nec adæquata est, nec prima: Dico non esse adæquatam, quia non semper Deus dat se-

quentia auxilia iuxta mensuram dispositionis, sed sæpe maiora. Nam licet verisimile sit nemini negari auxilium, ad quod per prius auxilium se disponat; nihilominus sæpe dat multo maiora, & sine vlla dispositione, vel non obstante contraria dispositione, quia sicut illud prius est aliquis iustitiæ, ita hoc est misericordie, & ad ostensionem diuinæ gratiæ fit. Dixi etiam non esse illam primam causam huius varietatis, quia in eo qui melius vtitur primo auxilio, vt impetret secundum, illud primum non solum est sufficiens, sed etiam efficax, & hoc ipsum prouenit ex altiori & occultiori gratia Dei, & merita gratia, atque ita tota causa tandem refunditur in Deum.

Contra totam autem hanc doctrinam solet obijci verbum Christi Domini Matth. 25. vbi proponens parabolam talentorum ait; hominem illum peregrinē euntem distribuisse talenta, vnicuique secundum propriam virtutem, quos per propriam virtutem, propria dispositio & meritum; & per talenta, prima gratiæ auxilia & semina significentur. Verumtamen neutrum horum est necessarium, nam multi Patres per talenta non intelligunt gratiam sanctificationis, neque auxilia ad illam expectantia, sed vel gratias gratis datas, vt Anastas. Nicens q. 84. in sacram Scripturam, vel diuersa Ecclesiæ officia & ministeria, vt Chrys. Hom. 51. Imperf. vel munus prædicandi Evangelium cum maiori, vel minori talento, seu pluribus, aut paucioribus donis tam natum, quàm gratiæ collatum. Vnde quod additur, *secundum propriam virtutem*, non oportet intelligi secundum proprium meritum, vel dispositionem, sed secundum propriam capacitatem, nam licet dona, vel ministeria gratiæ non debeantur naturæ, nihilominus in distribuendis illis, præsertim quando ad publica ministeria ordinantur, Deus ordinariè rationem habet naturæ & ingenij, seu conditionis naturalis vni cuiusque; hoc enim ad suam prouidentiam spectat, & non est contra rationem gratiæ, & ideo frequentius seruatur, licet interdum ad ostensionem virtutis suæ, instrumentis de seipsis ad sua opera Deus vtatur.

Alij denique facilius se expediunt, dicentes non oportere singulas particulas & verba parabole accommodare, atque ita illa interposita fuisse à Christo Domino, quia ita solet ab hominibus fieri, non quia Deus in suis donis gratiæ conferendis semper modum illum obseruet. Adde vltimò, quia sub illis talentis dona gratiæ sanctificantis comprehendamus, & per propriam virtutem dispositionem vni cuiusque intelligamus, non oportere intelligi de dispositione ad primum gratiæ auxilium, nec de dispositione, quæ propria virtute hominis fiat, non enim dicitur propria virtus sola illa, quæ propriis viribus acquisita est, sed etiam illa, quæ ex dono Dei propria recipientis facta sunt, prius enim quàm homo ille sua bona traderet seruis suis, vocauit illos, & fecit illos suos, per quod rectè intelligimus sermonem esse de hominibus iam vocatis ad Ecclesiam, & per fidem Christi seruis effectis; per quam etiam diuersimodè ad dona gratiæ recipientia disponi potuerunt, ita exponit D. Thomas 1. 2. q. 24. art. 3. ad 1.

Quarto potest hæc varietas auxiliorum considerari in diuersis mundi ætatibus, & præsertim in tribus statibus Ecclesiæ, scilicet legis naturalis, scriptæ & Evangelicæ. In quibus certissimum est, longe diuersam fuisse gratiæ mensuram, nam in tempore legis naturalis, adeo erat rara fides, & vocatio ad illam, vt non dubitauerit Paulus vocare illa tempora ignorantie, quæ desepit Deus, dimittens omnes gentes ingredi vias suas, Act. 14. & 17.

9. Varietas inter singulares personas qui multa auxilia sufficientia recipiunt, & per illa ad salutem non perueniunt, vnde sit.

10.

17. Eandemque gratia sterilitatem, quae in genibus fuit in Epist. ad Rom. latè describit Prosper libro 2. de vocat. gent. capite 23. & inter alia dicit, tunc fuisse parvis & occultis communicatam. At verò de Iudæis iam ostendimus maiorem fuisse illis concessam; tamen in illa eadem lege scripta fuit multò abundantior gratia pro tempore legis nouæ promissa Ierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum. & Ezechiel. 11. Dabo eis cor vnum, & spiritum meum. & capite 33. Suscitabo super eos pastorem. & capite 36. Spiritum meum ponam in medio vestri. Isai. 54. Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino; & capite 55. Omnes sumentes venite ad aquas. & infinita similia, quæ tempore legis nouæ esse impleta ostendit. Christus Ioann. 6. & sepe in Euangelio, & Apostoli passim in actibus, & in suis Epistolis. Certum est autem hanc varietatem non esse ortam ex hominibus. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos non fecit.

Ratio ergo tota illius varietatis ex diuina voluntate pendet. Duo autem possunt in illa varietate considerari, vnum est collatio cuiuscumque gratiæ, siue maioris, siue minoris, & hoc semper fit ex liberali misericordia Dei per Christum; aliud est, eius gratiæ varietas, seu inæqualitas, in qua duæ sunt partes, scilicet sterilitas & abundantia gratiæ. Et licet vtrique fuerit ex diuina voluntate, diuerso tamen modo. Nam sterilitas, seu paruitas gratiæ pertinet ad rigorem, & ideo fundamentum habuit semper in originali peccato; additis multis personalibus, vt Paulus expendit Rom. 2. præter rationem autem supplicij fuit etiam medicinalis poena respectu totius generis humani, vt suam indignitatem magis agnosceret, & Christi gratiam & incarnationem magis æstimaret. Atque eisdem rationibus, ob quas incarnatione Verbi diuini tanto tempore dilata est, minor fuit in præteritis generationibus gratiæ communicatio, & cæcitatibus hominum permixtio. Vnde est illud Pauli Rom. 11. Concluserunt Deus omnia in incredulitate, vt omnium miseretur; & ad Galat. 3. Concluserunt Scripturæ omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesus Christi daretur credentibus. quod successu temporum factum est, nam post antiquiora tempora copiosior gratia Iudæis data est non propter ipsorum meritum, sed propter Christum & in ipsius gloriam, & ex gratuita electione Dei, vt in Epist. ad Rom. latè Paulus ostendit. Tandem vero in tempus legis nouæ abundantia gratiæ reuerata est, propter eiusdem Christi præsentiam, vt in fine tractatus de legibus latè diximus; atque ita omnis gratia, eiusque abundantia respectu communitatis generis humani non habet aliam radicem, & causam, præter voluntatem Dei, & Christi meritum.

Vltimò considerari potest hæc varietas sufficientium auxiliorum in diuersis orbis prouinciis & nationibus, quæ maximè cernitur tempore legis Euangelicæ. Nam certum est nationes illas, quibus Euangelium prædicatum est, maiora sufficientis gratiæ auxilia recepisse, quàm eas; quæ hoc beneficium caruerunt. Videmus autem Euangelium quibusdam esse citius prædicatum, quàm alijs, adeò vt vsque ad nostra tempora à vltimis gentibus fuerit ignoratum, & nondum ad omnes peruenierit. Quod autem non sine speciali & occulta Dei prouidentia, hæc, & similia eueniant, ostēsum nobis est varijs exemplis. Nam in primis Paulus Rom. 1. dicit se proposuisse ire ad prædicandum Romanis, & prohibuit esse vique tunc, quod multi Patres de prohibitione per Spiritum sanctum intelligunt, Chrysost. Greg. Ambr. Anselm. & alij; item Act. 16. vbi Paulus & Timoth. prius vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, &

postea cū tentarent ire in Bithyniam, non permittit eos Spiritus sanctus, & postea per visionem admonitus est Paulus transire in Macedoniam. & cap. 18. similiter per visionem præcepit illi Dominus, Loquere, & ne facias, &c. populus enim mihi est multus in hac ciuitate.

Huius autem varietatis prouidentia diuinæ Semipelagiani conabantur rationem reddere ex operibus hominum à Deo prauis, nam quibusdam aiebant, prædicatum esse, quia credituri erant, alijs negatum esse, quia non erant credituri: vnde quia rationem reddere non poterant ex operibus aliquando futuris, illam sumebant ex præscientia operum sub conditione futurorum, vt referunt Prosper & Hilarius in Epistolis ad Augustinum, & in suum fauorem eundem Augustinum allegabant quia in Epistola 49. q. 2. de toto tempore prædicationis Euangelicæ dixit voluisse Christum hominibus apparere, & prædicare doctrinam suam, quando sciebat, ibi esse, qui in eum fuerant credituri. Nec videtur hæc sententia aliena à Greg. sensu Patrum, nam Gregorius Hom. 12. in Ezech. docet, interdum Deum prohibere verbum suum alicubi prædicari propter auditorum malitiam, qui verbum cum fructu non suscipient, & adducit id Act. 22. vbi Paulus refert sibi esse à Domino dictum, *Exi velociter ex Ierusalem, quoniam non respicient testimonium tuum de me.* Et Homil. 4. in Euangel. eandem rationem reddit ex præscientia Dei, veruisse nimirum prædicare tunc Paulum in Asia, ne grauius de contempta prædicatione iudicaretur; prævidebat ergo Deus illos, qui tunc in Asia erant, non fuisse credituros, & ideo Apostolos & socios illuc ire noluit. Eandem rationem tradit Chrysostomus Hom. 65. in Matth. & Beda verba Gregorij vsurpans Act. 16. & expressè OEcumēnus. In Asia (inquit) & Bithynia vetat spiritus ne verbum Eo cum dissonant apostoli, præscit enim hæresim eorum, qui spiritum impugnarent, dominatur enim illis, qui ibi degenerant.

Nihilominus dicendum est, simpliciter & absolute loquendo, non posse rationem primariam & proximam ad æquatam huius varietatis ex libero arbitrio hominum sumi, sed esse occultissimum, & ex diuina voluntate & prædestinatione pendere. Vnde Augustinus libro octuaginta trium questionum, q. 68. circa finem, Hæc (inquit) variatio, quæ fuit in singulis hominibus, siue in populis, siue in genere ipso humano per temporum opportunitates operatur, & profunda ordinationis est, & libro de bonorum perseverantia capite decimo quarto in diuinam prædestinationem id refert, & contra Semipelagianos id conuincit ex illo Matthæi vnde decimo Varii Corozaim, &c. nam ibi prædicatum est Euangelium & facta sunt signa in populis non credituris, & negata sunt Tyrus & Sidonijs, qui credituri essent, si talia verba audissent, & signa contempsissent. Idemque latissime tradit Prosper in Epistola ad Rufinum, vbi inter alia ponderat, in initio Euangelicæ prædicationis non iussisse Apostolos ad prædicandum, nisi quò spiritus Dei eos ire voluisset, & quasdam gentes suo tempore corripisse gratiæ Dei esse participes, alias nullum adhuc odorem boni istius attigisse; totumque refert in voluntatem Dei, cui humana non possunt obistere voluntates. Nam quod istis prædicetur Euangelium, non potest eorum bonis moribus tribui, cū bonos & pios mores non conferat nisi gratia, nec quò illis non prædicetur, potest ex prauis eorum moribus nasci, cum multi sint cāferi mores, quos non facile possit gratia mutare, si velit. & libro secundo de vocat. gent. capite nono & sequentibus, alias cap. 3. eandem gratiæ inæqualitatem mirabiliter expendens, concludit. *Quæ causa hæc sit, hæc sub eadem gratia dissimilandum, quæ ratione*

17. 16.

18. 18.

16.

Prosper.
Hilar.

Chrysost.
Beda.

OEcumēnus.

Auguſt.

17. Refertur
prædictæ
varietatis
ratio in vo-
luntatem
Dei.

Auguſt.

Matth. 11.

Reſp.

tione, sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquatur, & cum eis inscientia Pauli Apostoli a disputatione transiit in stuporem. cuius erit tanta presumptio, qui hac dissimulando existimet aperienda potius, quam silentio miranda.

18. Ratio verò est, quia ex diuersis operibus liberari arbitris bonis, aut prauis, non potest prima ratio huius veritatis assignari, & licet interdum possit aliqua proxima inueniri, non potest esse adæquata, nec prima. Declaratur hæc ratio, quæ

Declaratur. est fundamentalis in hac materia. Nam in primis quod Semipelagiani dicebant quibusdam esse negatam, vel debitam prædicationem Euangelij, quia sub conditione præiudicium est, quod licet prædicaretur, non crederent, quatenus sentiebant illam esse poenam incredulitatis illo modo futuræ, valde errabant, & sæpe arguuntur ab Augustino, quia Deus non punit peccata, quæ futura non sunt, etiam si essent futura, si hoc, vel illud accideret, quia hæc simpliciter nihil sunt: quod autem nihil est, non est dignum poenæ; imò interdum est miseratione dignum, & ita inter gratiæ beneficia computatur. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, Sap. 4. vt expendunt Augustinus epist. 107. Prosper lib. de ingratia cap. 32. vnde ex hoc ipso testimonio reprobatu sufficiens illa sententia, quæ asserbat Deum punire priuatione gratiæ suæ illa peccata, quæ commissurus quis esset si viveret, vel si Euangelium ei prædicaretur, vt notauit Augustinus epist. 105. & de corrept. & grat. cap. 8. & de prædestinatione Sanctorum capite 14. nihilominus tamen seclusa ratione poenæ, vel meriti, sæpe verum habet illa ratio, quod Deus prohibet alicui genti aliquo tempore prædicari Euangelium, quia tunc non erant credituri, non tamen in poenam infidelitatis, quæ fuisset futura, sed potius ex misericordia, ne contemnendo fidem maioris poenæ rei fierent, vt Gregorius & Beda dixerunt. Hæc verò ratio licet sit aliquando vera, non est adæquata, quia interdum prædicatur fides etiam illis, qui peiores ea occasione futuri sunt, quorum in hoc Deus noluit misereri, & ita tandem in secretum diuinæ voluntatis reuoluntur. Similiter sæpe prohibetur aliquibus prædicari, propter eorum peccata, quæ impedimentum illatura sunt fidei, & in poenam non infidelitatis, quæ futura esset, si prædicaretur eis Euangelium, sed peccatorum, quæ iam a tali gente commissa cernuntur, nam licet Deus posset eorum misereri, & per abundantem gratiam illorum mentes commutare, iusto & occulto iudicio non vult.

19. E contrario verò sæpe Deus iubet alicubi prædicari Euangelium, præuidens illic esse multos credituros, vt aperte dicitur Actorum vigesimo octauo ibi, *Populus enim mihi multus est in hac ciuitate.* Tunc verò nec talis prædicatione est propter bonam meritum in illis gentibus inuenta ante fidem, quia nulla talia esse possunt, vt supra latè probatum est, & optimè ostendit Prosper dicta epist. ad Rufinum, & Augustin. dicto lib. de prædest. Sancti nec etiam propter meritum futuræ fidei, quia vt præiudicium sub conditione nullam habet rationem meriti, vt dictum est: vt futura autem absolutè est effectus ipsius prædicationis, & auxilij, & ideo non potest esse meritum eius: fides ergo, quæ tunc futura esse præuidetur, vt effectus gratiæ præuidetur, & propter illam tamquam propter finem à Deo intentum tale auxilium confertur. Et in hoc sensu illa ratio reddi potest, aliquando vt causa proxima in illo genere talis beneficii, non tamen potest esse ratio adæquata, quia sæpe Deus præuidet gentem credituram, si ei prædicetur fides, & tamen ad illam Prædicatores non mittit, sicut in Tyris & Sidonijs videmus. Quapropter

nec illa potest esse ratio prima, sed recurrendum est ad diuinam voluntatem, quæ ita vult gratiæ suæ dona distribuere, & in hoc sensu approbatur illam rationem, & explicuit quod contra Porphyrium scripserat Augustinus libro de prædest. Sanctorum capite nono. Addi etiam potest ex eodem Augustino libro de dono perseverantiæ capite nono, tunc maximè eis prædicari Euangelium, qui præuidetur credituri, quando illi sunt prædestinati, & ad salutem electi: nam propter electos maximè Deus suam gratiam communicat. Vnde fieri potest vt propter paucos electos prædicetur Euangelium, vbi plures sunt epugnaturi, & tunc occasione electorum, quibus datur auxilium efficax, datur reliquis audientibus auxilium sufficiens. Et ad hunc modum ex hac radice adæquata ratio redditur huius mirabilis varietatis providentiæ diuinæ, quantum in hac vita iuxta diuinam Scripturam coniectare possumus.

Ad argumenta ergo Massiliensium respondeo. Ad primum dicitur, verba illa Sapientis, *Aqualiter est illis cura de omnibus*; solum significare aequalitatem in vniuersalitate, quia omnium rerum, nulla excepta, habet præuidentiam Deus, & in hoc est quædam aequalitas, quia siue sint res magnæ, siue minimæ, omnium in particulari, & in indiuiduo habet præuidentiam. Nihilominus tamen quoad effectus præuidentiam, & modos eius, est varietas in diuinâ prouidentia, vel iuxta Dei arbitrium, vel secundum proportionem, & vnicuique conuenientem rationem, & hoc modo dixit Paulus 1. Corinth. 9. *Nam quid de bobus cura est Deo?* non quia nulli sit, sed quia non talis, qualem habet de hominibus, vel de Prædicatoribus Euangelicis, de quibus Paulus ibi tractabat. Deinde dicimus sermonem Sapientis ibi esse de iustitia, in retribuentis poenis, dixerat enim, quod *Potentis potenter tormenta patientur*, & ideo adduxit rationem, quod Deus non accipit personam, & quod pusillum, & magnum imple fecit, quia in negotio iustitiæ aequitate seruatur, atque ita aequalitatem etiam seruatur vique iustitiæ. At verò in negotio gratiæ non oportet, vt seruetur equalitatem, quia non vt iudex, sed vt Dominus absolutus illam confert, & ita licet maiorem, vel minorem tribuat, non accipit personam, nec tenetur quos equaliter creauit, aequaliter gratificare, quia sunt beneficia diuersorum ordinum, quamquam etiam in ipso ordine naturæ plura etiam beneficia quibusdam conferat, quam alijs, solum quia vult, vel quia ita vult causas vniuersi disponere. Et hoc est quod Paulus dixit Roman. 9. esse in potestate legitime, & ex eadem massa facere vnum vas in honorem, & aliud in alium inferiorem vsum. Ad secundum respondemus, testimonia illa Sanctorum intelligenda esse iuxta priorem modum aequalitatis, quia Deus ex se nemini gratiam suam negat, & omnibus illam offert aequaliter, id est, nullo excepto, seu equaliter quantum ad gradum sufficientiæ, in latitudine autem illius non negat dare illam copiosius in maiori, vel minori, secundum consilium voluntatis suæ, & diuidens singulis prout vult.